

De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10259

De S. Ioanne Syro confessore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

DE S. IOHANNE SYRO CONFESSORE.

313

pellari, quia necessè fuit & putari: sicut & pater Saluatoris nō quidem esse, sed dicimus, ut putaretur esse, dicente hoc ipso Euangelista: Et ipse Iesu erat incipiens quasi annos ^{Luc. 3.} norum triginta, ut putabatur, filius Ioseph. Nec vir ergo matris, nec filij pater extitit, quanvis certa (vt dictum est) & necessaria dispensatione vtrunque ad tempus & appellatus sit & putatus.

Conijce tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorarià Deo, vt pater Dei & dictus & creditus sit: conijce & ex proprio vocabulo, quod augmentū non dubitas interpretari, quis & qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul & memēto magni illius quondam Patriarchæ venditi in Aegypto, & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse fortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assequutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus, & ducetus in Aegyptū, Christi ^{Gen. 37.} venditionem præfigurauit: Iste Ioseph Herodianam intuidiam fugiens, Christum in Matth. 2. Aegyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans, dominæ noluit commisceri: Iste ^{Gen. 39.} dominam suam Domini sui matrem virginem agnosces, & ipse continens fideliter ^{Matt. 1.} studiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: Iffi datum est concium fieri atque participem cœlestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo: Iste panem viuum ē cœlo seruandum accepit tam sibi, quam toti mundo. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris. Fidelis, inquam, seruus & prudens, quem constituit Dominus sua matris solatium, sua carnis nutritum, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum.

Huc accedit, quod dicitur fuisse de domo Dauid. Verè enim de domo Dauid, verè ^{S. Ioseph} nobilitas. de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degenerans à patre suo Dauid. Prorsus, inquit, filius Dauid, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione: quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundum cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanū, cui tanquam alteri Dauid incerta & occulta sapientia sua manifestauit, ^{Psal. 50.} & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo principum huius seculi agnouit: cui denique datum est, quod multi reges & prophetae cùm vellet videre, non viderunt: ^{Luc. 10.} audire, & non audiérunt: non solum videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplexi, deosculari, nutrire & custodire. Non tantum autem Ioseph, sed & Maria descendi credenda est de domo Dauid. Alioquin non esset desponsata viro de domo Dauid, si non esset & ipsa de domo Dauid. Ambo igitur erant de domo Dauid: sed in altera completa est veritas, quam iurauit Dominus Dauid: altero tamen ^{Psal. 131.} conscientia & te. sti adimpleræ promissionis.

VITA B. IOHANNIS SYRI CONFESSORIS, AB
ADONE EPISCOPO CONSCRIPTA IN
ipsius Martyrologio.

A PV D Penarensem urbem natale beati Iohannis, magna ^{19. Martij.} sanitatis viri, qui de Syria oriundus, peruenit ad Italianam: ^{E Syria ve-} Cumque quereret locum habitationis suæ, orationem suam in Italiæ ad Dominum: Te deprecor Domine, qui lumen es ^{am.} verum, si prosperum facis iter meum, hoc mihi signum fiat: Vbicunque ambulauero, si Psalterium meum dedero, & eadem die mihi redditum fuerit, ibi sit permanisionis meæ locus. Factum est. Recepit eum hospitio matrona quedam, cui vir Dei psalterium suum dedit, requisiuit: ei que mox à muliere redditur. Hoc citoque signo, ut stationem suam ibi vir Dei faceret, confirmatur, ac inde non longè plus minus ve, quam duarum sagittarum progressus, habuit angelum Dei obuium, qui ei dixit: Serue Dei, hic tibi locus permanisionis à Domino parabitur. Erat autem hyems, & sedebat vir Dei sub arbore. Venatores vero cùm per locum transitum facerent, viderunt eum sedentem, atque arbore illam iuxta illum folijs vestiram. Requirentes autem virum, quis esset, ob Domini seruitum se de ultramarinis partibus locis ve venisse, mora Plurimi ad rique hic velle respondit. Nunciantibus igitur illis, famaque vitam beati viri longius ^{cū accurrūt} & fiunt monasterio facto, ^{nachi.} spargente, tanta frequentia populi Dei undequaque illuc aduenit, ut monasterio facto,

Dd

con-

M A R T I V S.

314

congregatio magna seruorum Dei simul habitantiū ibi fieret. Cui praeiuit multis clarus virtutibus beatus Iohannes quadraginta quatuor annos: & requiecerat in pace, depositus est 14. Calend. Aprilis in loco, ubi praestantur beneficia Dei usque in hodiernum diem.

VITA S. LANDOALDI S. ROMANÆ ECCLESIAE ARCHIPRESBYTERI ET CONFESSORIS,
itemque translatio eius & sociorum, ab Nodero episcopo
Leodiensi duobus libris explicata.

P R A E F A T I O A U T H O R I S.

Vuomarus
Abbas S.
Bauonis
apud Gandaum.



Odgerus, quem, et si indignum sanctæ Mariæ, sanctiq; Lamberti mancipium, prædicant tamen episcopum, Vuomaro venerabilis in Christo patri, & fratribus Gandenses, omnibusque fidelibus quo cunque locorum positis, haec oculo non obliquo lecturis, perpetuitatem vitæ cælestis.

Postulare, immò exhortari facultatulam nostrę modicatis, patres reuerendissimi, nō dubitatis, ut ex mirabilibus seculis omnibus & gentibus prædicandis, nostris diebus, licet simus indigni, nobis quidem manifestatis, vobis insuper prærogatis, in translatione scilicet S. Landoaldi archipresbyteri & sociorum eius reuelatis: quia ex nostra clati diœcesi, vestro, præordinante Deo, cesserunt iuri, debemus, quantum ad nos usque, fama vulgante potuit perferri, omnium, immò vestra satisfacere petitioni. Iusta quidem petitio & digna exhortatio, que iuxta quandam sapientem, & de præsentis honestate propositi, & de futurę ætatis utilitate coniuncta est. Nisi enim gesta eorum, incuria prædecessorum nostrorum deperirent, nobis hodieque sufficerent. Sed quāta audiuimus & cognouimus ea, & patres nostri narrauerunt nobis, ea videlicet, quæ adhuc nostra tenet memoria, rogatis scripto mandāda, nē itidem & nos damnemur à posteritate subsecutura. Positis adhac in ancipi, quia præsulatum apud vos omnium artium artem constat esse & credi, suspensam mentem silentium libravat, illudq; poeticum animum offendens, In sylam ne ligna feras: parum quid diffidentiae importabat. Sed quia in culpa est animus, qui se non effugit inquam, diffidentia torpor cessit, expostulatio vestra inualuit: nisi quod celeritas, quæ iuxta Socratem beneficium gratius facit, plus festinare, quā res expostularet, nos compulit. Erat namque ante nos dictum, vires, quas imperitia denegat, charitas subministrat: & quia incepto tantum opus est, extera res expediet: Igitur adorsi sumus, nē vestram autoritatē defugere videremur. Præsumenti enim authoritas datur cum credit, quem postulat, præstare posse quod peritur, & scienti econtra parere æqualis est gloria cum imperante. Si qui autem fortè futurus obtrector, obliquo hæc oculo non timuerit limare, & odio obscuro morsuque præsumpsit venenare, in eius satisfactionem Iesum & sanctos angelos eius, iudiciumq; futurū testamur, nos parum hæc aliud posuimus, quam quæ aut à presbytero Saraberto, id sancte iurante, à vobisque, ut ipse retulit, fortiter & horum merita sanctorum obtestato, audiuius, aut in scripto vestro, nobis delato fideliter mandata reperimus: exceptis dumtaxat ijs, quæ ex episcopatu nostro decerpta, huic schedula pro temporis ratione videbantur congruent præponenda. Valete, datum tertiodécimo Calend. Iulij, anno Dominice incarnationis nongentesimo octogesimo, Indictione octana, Imperante domino Ottone post mortem patris anno octauo, Episcopatus nostri anno nono.

VITÆ S. LANDOALDI, LIBER I.

19. Martij.

Lotharius
rex.

Rancorum regnum à sui principio semper infatigabile, tunc præ certis sibi collimitaneis visum est florere, cū iugo Dominicæ fidei colla passum est inclinare, & quod prius adorarat, incendere: quod incenderat, voluit deinceps adorare. Maximum autem accepit incrementum & firmum sub eo sancta Dei Ecclesia statum, cū Lotharius rex, iusta successione hinc quartus, monarchiam singulariter trium regebat regnorum, & cùm quadragesimum agebat annū, quem Heraclius Augustus, sancte crucis relator, quartumdecimum. Hic sceptro suo nullius circum-